

quas fors elocata quotannis fundit, excedat. Verum cuilibet solutiones huius quaestiones supra traditas propius inspicienti patebit, in iis nihil quidquam tale supponi, sed in medio prorsus relinqui, vtrum pensio annua annuas sortis vsuras excefferit nec ne, iisdemque non nisi valorem praesentem pensionis annuae n vicibus exsoluatae, diuersis licet viis ac rationibus, inuestigari *). Quocirca nihil ob stare potest, quo minus in formulis resolutionum finalibus statuatur $a = pr$, siue $p = \frac{a}{r}$, quo facto $n = \infty$ prodire necesse est, vicissimque statuendo $n = \infty$, rursus $p = \frac{a}{r}$ proueniat, oportet.

9. Formulam (VII) et, quae ipsam reciprocatur, (VIII), nunc ulterius confirmaturi, eam iam alii superstruemus fundamento, quam quo ante vsi sumus, illi scilicet, cui formula (III) vna cum reciproca sua (IV) innititur, cuiusque omnis vis in eo consistit, vt creditor et debitor, si ille pensiones ipsi exsoluatas inde a solutionis tempore, hic vero sortem mutuam inde ab acceptionis die foenore exercendo in vsu suum omnimode converterint, in fine anni n ti in eodem facultatum suarum statu esse, siue aequalem pecuniae numeratae summam possidere debeant. Facile enim intelligitur, hoc pacto neutri eorum in damnum alterius aliquid commodi concedi, sed creditorem tantum ex amissis fructus ex pensionibus acceptis capere, quantum ex ipsa sorte elocata percepturus fuisset, debitorem autem ex sorte mutuo sumpta tantum exacte fructus ferre, quantum ex pensionibus persolutis habiturus fuisset. Illum vero statum aequalitatis facultatum non ante finem anni n ti incidere debere, per se manifestum est, quamquam nihil vetat, ne post istum terminum locum habeat, id quod reuera vsu veniet, si summae aequales in fine anni n ti cumulatae porro sub iisdem collocentur vsuris. Sed vt formula (VII) beneficio principii modo expositi eruatur, non solum vsuras, sed etiam vsuras vsurarum in computum venire, necesse est.

*) De solutionibus artic. 1, 2, et 3 id per se patet; de solutione art. 4 idem manifestum fiet considerando, *valorem praesentem valoris futuri esse valorem ipsius summae*, vt LEIBNITIUS admodum concinne, quod ipse lemma vocat, expressit in *Act. Erudit. a. 1683.*